

THESES,

QUAS,

LEGUM JUSSU ACADEMICARUM,
STIPENDIARIIS AD ACADEMIAM IMPERIALEM
ABOENSEM,

OCCASIONEM PRÆBITURUS EXERCITATIONIS

PUBLICICE PROPONIT

MAG. JOH. HENR. AVELLAN,

*Univerfit. Imper. h. t. Rector, Historiarum Prof. P. & O.
Stipendiariorumque h. a. Inspector.*

RESPONDENTE

JACOBO JOHANNÉ GRÖNROS,

Stipend. Publ. Tavast.

In Auditorio Juridico die XIV Decemb. MDCCCXXII.

horis a. m. solitis.

ABOÆ,

ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



Th. I.

Quantumvis perspicua *Historiæ varium Mundi Terrarumve Generisque Humani diversis temporibus habitum tradentis* esse videatur notio, tamen parum adeo de hac ipsa inter celeberrimos convenit Auctores historicos, ut difficile fuerit dictu quæ tandem definitio veritati sit accommodatissima. Approbationem vero quin immo laudem merentur diversa rem definiendi conamina, si modo scopum admittentia rationi consentaneum, veramque quandam afferentia utilitatem, Auctorem in materia pertractanda historica occupatum, legi ex definita idea ipsa enatæ æquabiliter fidelem præstare valent. Qua itaque conditione observata, si operis historici conditor, idem aut *Historiam Humanitatis*, aut *Culturæ*, aut forsitan *Epitomen Ethnographiæ*, aut *Compendium Historiæ Universalis*, aut aliter appellare velit, de hac quidem denominatione haud cum illo litigandum censemus.

Th. II.

Qui vero Ideam *Historiæ Terrarum Generisque Humani*, sive in univèrsam receptam sive plerisque Eruditorum commentariis & explicationibus, iisdemque promiscuo etiamsi usu vocabulorum expressis, percalluerit illustratam, is quoque sine dubio facile persentiscet: primo eandem quam loquimur *historiam disolutarum* coacervatione aliqua rerum haud conglutinari, sed unum quoddam totum idemque *spirituali quasi vita quadam perfusum*, specieque organica conspicuum, atque *descriptionem mundi*, vel, quod idem nobis valet, *domicilii*
ter-

terrestris generisque humani, complectens constituere. Deinde vero idem intelliget: in mundi historia ita comparata omnis omnibus quæ separatim loci vel temporis cujusdam statum, aut diversa privatæ rationis consilia indicant, ea tantum commemoranda esse, quorum vis & utilitas omnibus communis atque sempiterna manet, quamquam etiam hæc ipsa ad fines varios subordinatos attingendos, & ad diversa procreanda commoda sæpius possunt conducere. Postremo autem patebit, Historiam de qua quærimus, caput esse atque confectarium ultimum, e collectione Historiarum Specialium ad formam artis revocata deducendum.

Th. III.

Historiam itaque Mundi, brevi comprehensam, recte definiiri ita credimus, ut sit continua ejusmodi vicissitudinum principalium conversionumque, quibus commutata fuerit cum facies Terræ, tum conditio Generis humani, expositio, cujus operationes, vel causæ singulares, utriusque mutatæ rationis, per singula temporis intervalla dignosci queant atque intelligi.

Th. IV.

Qua quidem ab Historia distingui & posse & debere eam putamus, quæ strictè *Universalis* appellata, id imprimis sibi sumit negotii, ut per se conderet in quem res quascumque memorabiles, easdemque omnis quidem & ævi & loci & generis, sed ordine tamen ad artis regulas conformato, congerat. Discernitur itaque hæc ab illa paulo antea nobis definita haud fere aliter, ac vasta quædam moles lapidum ac lignorum, ædificii extruendi gratia collatorum & in partes certas distributorum, ab ipso valde differt ædificio. Qui vero specialibus Historiis, cunctis in *Universali* comprehensis, præscripti fines sunt, eosdem etiam *Universalis* complectitur. Cujus quidem materia, licet, disparibus nempe constans rebus nimiumque varia atque infinita, in unum quoddam totum organice concre-

turs

tum redigi nequeat, copiam tamen Historiæ præbet Mundi
eos conquirendi colores, quorum temperatura insignia referri
& in tabula quadam effingi possunt lineameta, varium haud
minus terræ experimentia cultum, quam Humani Generis di-
versis temporibus diversam spirantia vitam.

